QUÆSTIO MEDICA.

An Venus Hystericis?

I.

MULIER, μεμψίμοιρον καὶ ὀχευτικὸν ζῶον, temperamentô frigidô humidô, densâ cute, otiô & gulæ plus æquô indulgens, tota morbus est & infirmitas. Animum si spectes, pusillum, levem, angustum, iracundum, versatilem, dolosum, infidum, varium & mutabilem invenies. Si corpus, tenerum, imbecillum, & omnium ferè morborum epitomen dixeris. Undique ipsi parantur insidiæ, intus, foris, οὐδὲν ὑγιές. Omnibus tùm corporis cùm animi dotibus sequior ille sexus exuitur, vnâ pulchritudine exceptâ; est enim mulier καλὸν πῆμα. Quid plura? verè σκεῦος ἀσθενὲς, ipsô sacrorum codicum testimoniô, vt in eâ efformandâ non tam ipsi fuerit natura parens, quàm noverca. Cave tamen eam dicas esse ejusdem naturæ παρέκβασιν, ἀναπηρίαν φυσικὴν, marem mutilum, & inseminem, imò & monstrum quodammodo, nî velis & ipse τερατολογεῖν. Has Peripateticorum de fœmineitate nugas, has affanias, hæc somnia planè rejicimus. Est enim fœmina ens necessarium, quod non minùs quàm mas à naturâ intenditur, quæ si sit valida καὶ αὐτεξούσιος, nihil perperam molitur: sed cùm vis quædam Dei sit, eumdem semper servat ordinem, nec ambigit, quippe quam quinque hæ virtutes commendent, πρόνοια, δικαιοσύνη, τέχνη, σοφία, καὶ δύναμις.

II.

MULIERUM affectus varii, ac pene innumeri, quos præsertim parit edacitas, otiosa vita: nam plantæ solo affixæ similes perpetuo sedent, & mandunt. Eas non ineleganter dixeris νέκυας μεσαύχενας, cadavera collô tenus; quibus præ ingluvie pigris, neque pes, neque manus, neque mens suô funguntur officiô, sed saginando corpori duntaxat indulgentes, κινδυνεύουσιν ἀποδενδρωθῆναι: parum abest quin arborescant, & in plantarum naturam degenerent, dum alimoniam tantùm attrahentes, cætera sine sensu habere videntur. Ab hoc gemino fonte, ingens humorum πλεονεξία, & sanguinis vbertas in dies ipsis accedit, nihil autem aut parum decedit. Nam cùm illarum corpus calore nativô minùs

quàm virile circumfluat; inde fit vt minùs consumant, minúsque perspirent, nec sit in ipsis ἀνάλογον τὸ ποσὸν τῆς διαπνοῆς, τῷ ποσῷ τῆς τροφῆς; sicque repleantur illarum carnes & venæ humoris & sanguinis crudioris vbertate, à quâ morborum milias, febrium omne genus, inflammationes viscerum, capitis dolores acerrimi, pleuritides, peripneumoniæ, catharri, tusses, dolores colici, artuum inferiorum tumores, rheumatismi, imò & podagra ipsa, etiam περὶ ἀφροδισιασμοῦ, ac cæteri viriles morbi, quorum insultibus vt maximè patent, sic minùs quoque resistunt; ἀδυναμωτέρη γὰρ καὶ ὀλιγωτέρη φύσις ἡ γυναικείη.

III.

PRÆTER laudatos istos & vulgares affectus, suos etiam peculiares & sibi proprios misellulæ patiuntur, & hos cognitu difficiles, non per se quidem, sed quia apud se reticent, ac eas pudet eliminare foras, αἰδέονται φράζειν: id sibi fore turpissimum & indecorum ratæ, ὑπὸ τῆς ἀπειρίης, καὶ ἀνεπιστημοσύνης; sícque cum suâ sæpe erubescentiâ pereunt, medicis in eo peccantibus, quòd iis medeantur morbis tanquam virilibus, à quibus tamen discrepant quàm maximè. Talia sunt, ciborum fastidia, malaciæ, vomitus, lassitudines, albæ febres, seu faciei pallor, amantium colori similis, albi fluores, palmi, metus, mœror, anxietas, desperatio, μητρομανίαι, seu furores vterini, convulsiones epilepticæ, quæ eas interdum sic exagitant, vt incautis & credulis τῶν ἐνεργουμένων specie illudant: atque alii ejusmodi affectus virginei, qui propriâ carent nomenclaturâ, quos experiuntur, cum viro jam maturæ, ex ephebis excesserint. Sed hi omnes affectus parvi ducuntur, præ illâ terribili vteri præfocatione, aut strangulatu. Aliud enim quidquid est, ægrotare est, hoc autem est animam agere. In eo siquidem horrendô symptomate, mulier aut virgo veluti mortua & exanimis jacet, sine pulsu ac respiratione, quæ duo sunt maxima vitæ subsidia, sine motu, sine sensu, fitque tunc ἄφωνος καὶ ἄναυδος, quæ suâpte naturâ loquax est, & ἀχάλινος, indomita, frænoque indigens. Denique feriantur & facultatum principum functiones omnes, vt nec ratiocinetur, nec meminerit, nec sibi quicquam imaginetur. Vivit tamen, licèt ipsa suæ non conscia vitæ.

IV.

OMNIUM ferè morborum atque symptomatum muliebrium fons fomesque, vterus: vt quidquid in mulieribus cuditur mali, aut in vterô fit, aut ab vterô. Est enim pars illa vt sentina, in quam totius corporis sordes & καθάρματα amandantur: quibus excipiendis favet illius si-

tus declivis, in ima hypochondrii parte, medius inter veſicam & inteſtinum rectum, tanquam inter duo pulvinaria & ſubſternicula, longè à nobiliſſimâ rationis arce, inibi alligatus, ὥσπερ ἄγριον θρέμμα εἰς φάτνην. Non tamen infimæ ſortis aut proletarium viſcus eſt, à quo tota ferè mulierum aut ſecunda pendet, aut adverſa valetudo. Alitur alluitúrque pars illa plurimis venis & diverſi generis, quæ menſibus & ſemini materiam ſuggerunt: hæc ſi redundent, & in vtero diutiùs ſubſtiterint, nec ſuo tempore & loco excernantur, morâ putrent, ſed inæqualiter, cùm ſemen retentum cohibitos menſes malignitate vincat. Ab ejuſmodi ἐπισχέσει varia exurgunt & ſuſcitantur pathemata, non tantùm in vtero, aut circa locos vteri, vt ſunt phegmone, carcinomata, eryſipelata, ſchirrhi, ſed etiam in diverſis aliis corporis partibus, quibus vaſorum communione conſentit: vt ſi prædicti illi humores, aut tetra illorum expiratio curſum inflectat ad hepar, cachexiam, icterum, hydropem; ſi ad lienem, obſtructiones, ſchirrhos; ad ventriculum, depravatam appetentiam, malaciam, vomitum, bulimum; ad cor, palpitationem, ſyncopen, deſipientiam; ad pulmones, vlcera, tabes; denique ſi ad cerebrum, epilepſiam hyſtericam ingeneret. Tantum poteſt malè affectus vterus ſuadere malorum! Sed inter omnia ſymptomata muliebria, primas tenet vteri præfocatio, quæ non tam à retentô ſemine, & cohibitis menſibus ſupervenit, quàm à denegatô virili ſemine, cujus eſt ſitientiſſimus vterus. Eô namque tanqùam propriô geniô defraudatus, immane quantum allatrat & furit! fugit ſurſum, deorſum, ad latera, nec ſuo tenetur loco, vbique paſtum quæritans, quô non ſuppetente, convellitur reſiccatus ὑπὸ τῆς ταλαιπωρίης, & ad hepar libidinis æſtrô percitus tanquam ad ἰκμαλέου fontem excurrit, excurſum vteri ad hepar conſequitur diaphragmatis oppreſſio, à quâ ſuffocatio hyſterica, ſtrangulatus, ac ſi adeſſet illaqueatio. Hoc terribili ſymptomate aliæ aliis plus minúſve torquentur, virgines maturæ viro nuptis, viduæ maritatis, juvenes vetulis. Adeo verum eſt vterum in his omnibus non minùs eſſe αἰσθητήριον τῆς ὀδύνης, ἢ τῆς ἡδονῆς!

V.

Adversus prædictum illud & formidabile ſymptoma, cujus tanta vis aliquando fuit, vt nonnullas non ſemel de medio ſuſtulerit, pugnabis accommodatis præſidiis adverſus cauſas; vt ſi ſuppreſſi menſes, aut ſemen retentum ὑστερικῷ πάθει anſam & πρόφασιν dederint, vtriuſque exuperantiam reprimas ſanguinis miſſione cùm ex ſuperis, cùm inferis artubus celebratâ, nullâ tunc habitâ virium ratione, quæ in iſtis rerum anguſtiis magis opprimuntur, quàm languent. Huic hegemonico ſuccedet & alterum, purgatio, eáque blanda, ſemel atque iterum

repetita, præſertim ſi vitioſos humores circa locos vteri malignè putreſcentes, tetrô ſuô ac venenatô vapore, ſursùm elatô nonnihil ad præfocationem contuliſſe ſuſpiceris. His adduntur vrgente paroxyſmo & alia quamplurima. Nonnulli graveolentia naribus admovent, quæ ſuo fœtore vaporis malignitatem deturbant, pudendis autem mulierum ſupponunt τὰ εὐώδη, quibus vterus impensè delectatur. Alii cucurbitulas imo ventri, & interioribus coxis affigunt, ἀντισπάσεως χάριν. Sed hæc ſunt dii minorum gentium, & levioris armaturæ præſidia, ἡγεμονικῶν ἡγεμονικώτατον, Venus. Hæc ſi libidinosè & frequenter exerceatur, viam ſternit menſibus patentiorem, ἢ ῥυτέρην ποιέει, ſeminis item quo genitalia turgent, effluxum promovet, quo excreto omnia depoſitâ feritate manſueſcunt. Caveant puellæ viro jam maturæ, cocundi rudes, & nondum marem expertæ, ne amoris agitatæ ſtimulis, phallovitrobelô nefariè voluptuentur, aut digitô hymenæum celebrent. Utantur meliùs libidinis malô, nec in vmbrâ voluptatis ludant, ſed quærant robuſtiorem. Siccior & pruriens vterus aliud poſcit, quo humectetur, edulium, rorem illum genitalem viri; amat hoc ſalutari imbre muliebris ager irrigari. Sed ſi puella caſtitatem voverit, an ipſi impunè ſcortari liceat, ſuffocationis vitandæ ergô? abſit. Non ſunt admittenda mala, vt inde eveniat bonum: αἰσχροπορνείαν ſuadere ſemper erubuit Chriſtianus Medicus. Sed à Veneris abſtinentiâ prædictæ puellæ nihil metuendum, ſi jejunio Veneris amuleto, & carnis maceratione, libidinis ardores, & ſeminis exuperantiam caſtiget. Quòd ſi nec Deo ſacra, ſed virgo ſit, & vratur, libidinandi deſiderio flagrans, & ex intervallis opprimatur, ſuffocationi medicinam quærat legitimo concubitu, nubat, & virum quadratum & ſucci plenum eligat ſibi, qui fundum mulieris ſedulus aret, & κῆπον incolat prægrandi priapo, *che ſie grozzo, è duro, è che duri.* Ab hoc vno præſidio tota paſſionis hyſtericæ curatio pendet, quod & pluribus aliis morbis, pituitoſis, melancholicis, congenitis & inveteratis, ſi qua Hippocrati fides, medetur. Tantùm pollet clinopale, duellum illud dulce, etiam inexpertis, & tolerabile remedium!

Ergo Venus Hyſtericis.

PARISIIS, E Typographia Viduæ EDMUNDI MARTINI, via Jacobæâ, ſub Sole aureo, & Sacrificio Abelis.